BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
kat. komn.
53241
I Mag. St. Dr. P

Kotek (Vladisl. Michaelis): Hecatontas scotistica theorematum physico-animasticorum.

Crac. in off. Christoph. Schedelii

1643.

HECATONTAS SCOTISTICA

Theorematum Physicoanimasticorum.

QVAM GEMINATAM

SVB FELICIBVS ILLVSTRISSIMI

D. ALEXANDRI

á Koniecpole

KONIECPOLSKI

Regni Poloniæ Vexilliferi Pereaslau: Korsuñ: &c. Capitanei.

SIGNIS

Nobilis & Rñdus: D. VLADISLAVS MICHAEL KOŁEK Philosoph: & I.V. in Alma Acad. Cracou: Auditor in aciem

EDVXIT.

Asſiſtente ſibi Excelleñ: M. LVCA PIOTROWSKI Collega Maiore, Curſus Philoſophici Vladiſlauiani Profeſſore.

Anno à partu Virginis 1643. Die 24. Febr.

In perauguſto DD. Theologorum LECTORIO.

CRACOVIÆ

In Officina Chriſtophori Schedelij S. R. M. Typ.



53241 L

ALEXANDER KONIECPOLSCIVS

ANAGRAMMA.

Hæc ſunt Arma KONIECPOLSKI Tua, CRVX, SOLEA, hoſtes
SCINDE, NECA PILO, nomen & omen habes.

ILLVSTRISSIMO DOMINO,

D. ALEXANDRO

A KONIECPOLE
KONIECPOLSKI

Regni Poloniæ Vexillifero Pereaſlauieñ Korſzuñ. &c.

CAPITANEO.

Domino & Patrono Colendiſſimo.

ARdet bello Orbis propè vniuerſus Illuſtriß: Domine; certatur & dimicatur vbiq;, quis credat? etiam in Scholis. Vnde, quem ſequatur Ducem, ſedulò cogitat vnuſquiſq;. Ego ſub Tua auſpicatiſſima meam Hecatontada coègi Signa: hoc me debita gratitudo, hoc Tuæ vitæ ſtudia, & auita exempla facere iuſſerunt. Quum enim plurima eaq; ampliſſima Illuſtriſſimi Tui Progenitorũ in Patruum Patronumq; meum longè chariſſimum perpendo beneficia; quibus eum à tot annorum ſerie non modò ornare; ſed etiam abunde cumulare dignatur: facilè profectò aduerto. quantæ curæ nobis omnibus id eſſe debeat. vt nos in Tuam quoq; Amplitudinem ſingulos quiſq; poſſit iudicare gratiſſimos. Nam ipſius Naturæ; non verò hominum eſt iſta doctrina. vt non colamus modò; ſed exoſculemur potius ſurgentem eius arboris propaginem; cuius fructu vel vnum ex membris noſtris ali ac viuere agnoſcimus. Cum itaq; non poſſit, nec debeat mori in nobis eius beneficentiæ memoria, quam in nos omnes totamq; Domum noſtram diffundi videmus: operæpretium eße duxi, & hoc munus vltro mihi impoſui: vt iſtud Theoreticorum Satellitum agmen, quod ſub Excellent. longeq; digniſſimo Tuo olim Præceptore labore & ſtudio pertinaci collegi, non prius in magnorum & illuſtrium virorum conſpectum adducerem, aut acutis Antagoniſtarum iaculis obijcerem: quàm Tuis gentilitijs in perpetuum grati animi Symbolum, & ſubmiſſionis debitæ mnemoſynõ muniretur Signis. Neq; verò hæc mea Tuos bellicoſos aduẽtu ſuo turbabit Phalanx cogitatus. Cõcertatio ſiquidẽ Philoſophica eſt verũ bellorũ ſimulacrũ. nam vt in his vibrati ad litandã Marti victimam acuuntur mucrones: ita in illa nata ad propugnanda Mineruæ dogmata non abſq; maximo fructu expoliuntur ingenia: hæc vel inuitum ad acquirendam perennis gloriæ lauream excitant; illa ne torpenti quidem ac ſtertenti diſputatricem adimit facultatem: hæc caſtra metari & aciem inſtruere; illa differentem in circulo argumentationis fixo ſemper pede perſiſtere docet: inter feruentes bellorum æſtus arma armis collidũtur; in pugna quoq; Stagiritica validior cõtra imbecilliorem ratio inſurgit, & tandem verboſam facundiam & raucam vocis contentionem ſolers atque ſublime triumphat iudicium, Quare cum ijs duabus in rebus diuerſis ac diſſimilibus ſimillimi concurrant euentus: haud alienum à Tuis bellicis putabis eſſe ſtudijs: ſi in Tuis Illuſtribus Caſtris, non ſolùm Pharetratæ Bellonæ; ſed Togatæ quoq; Mineruæ ſuáuiſſimum atq; iucundiſſimum ad pugnam, cædis tamen cruentæ inſciam, Claſſicum ſonare audiueris. Vtraq; eſt Armipotens belli Præſes, vtraq; digna Tuo cultu & humanitate. Alexander Macedo, qui (vt ait apud Plutarchũ

Æschylus) Bellator acris & tremendus hostibus *erat, hancq; artem auitam ab Æacidis & Hercule tenebat, Iliadem Homeri tanquam rei militaris viaticum (ita enim eam appellabat) non minus, quàm pugionem amabat; neq; puluino capitiq; suo sæpius hunc, quàm illam supponebat. Osyris seu Dionysius quoties aduersus hostem exercitum duxit, semper in Castris viuas nouem Musarum habebat imagines. Scipio in medijs difficillimi belli apparatibus scholas Philosophorũ crepidatus frequentabat. adeo est gloriosum & volupe viris illustribus ista duo æterno ligata nexu semper apud se habere Numina. Quinimò Tuus Illustrissimus Parens, qui rebus gestis omnes superioris ætatis Imperatores superauit, nonne Academicas, vt bellicæ suæ laudi consummatam adijceret gloriam, in Brodensem suam Ditionem introduxit Musas? Næ Tu felix Iulus, cui ad arcem immortalitatis occupandam adeo pius, fortis & prudens iter monstrat Æneas. Quid Tibi alienis opus exemplis? ex hoc solo virtutem verumq; laborem. Hic Tibi vnus Armis Fabium, Camillum, Regulum, Epaminundam, Onosandrum, Leonidam, Thimoleontem, Achillem, Pompeium & eius victorem Cæsarem: animo autem & affectu in literas Vespasianum, Carolum M. Sigismundum Imp. Bessarionem, Massaniensem, Iulium Cæsarem, Antonium Pium, Alphonsum & Ferdinandum ad viuum repræsentabit. Leget sera Posteritas, & cum voluptate quidem leget, eius laudum adoreas & Panegyres: extollet amplissima in Patriam merita, deprædicabit virtutem, enumerabit felicissimè confecta prælia, partas victorias, actos triumphos: sellas autem curules & supremos in Rep. honores, qui certatim ad eum deferebantur, vix in posterum vnquam in vno simul sociabiles suspiciet, stupebit. Porro inter hæc tot & tanta bona, quæ illi diuinitus sunt concessa, illud vel maximum iudico, quòd tanto Parenti talis Filius cõtigeris; & quòd verum verus Theodoricus exprimas Clodoueum: imo quod victorioso Philippo bellicosus re & nomine succedas* ALEXANDER. *Quidquid nobile & sublime Virtus & bona Fama habuit, ad illud felici & auspicato gressu eum venire voluit. & Te quoq; ad idem ducere parat: quinimo iam cælo fauente incepit. Virtuti enim Tuæ, quæ firmam sibi in animo Tuo sedem fixit, id acceptũ referimus omnes, quòd à Serenissimo ac Gloriosissimo Rege* VLADISLAO IV. *Aquilã Regni prudenti & maturo consilio Tuæ dexteræ masculæ concreditam esse videmus. Præconcepit quippe Sua S. R. M. eam ipsam, quæ in omnium animis penitus resedit, de Te opinionem. & quæ à Tuo illustrissimo Parente in Remp. profecta videt: eadem à Te quoq; profectura ex certis signis ac indicijs cõijcere cœpit. Atque hoc idem omnium, qui Tuæ ætatis aut ineuntis honestissima studia; aut adultioris bellica exercitia obseruare potuerunt, est de Te firmum & constans iudicium: adeo magnum & illustre quiddam ipsis Tua Natura ac Indoles pollicetur heroica. Age igitur Illustrissime Domine summæ Summi Parentis Deliciæ, Familiæ ornamentum, Patriæ decus, Ecclesiæ robur, clientum Patrociniũ certissimum, bonis auibus & auspicato omine iter gloriæ felix decurre, quãq; Tui Maiores omni laude & commendatione maiores triuerunt calca virtutum & laborum semitam, Illustrissimi Tui Progenitoris, cuius res gestas Istula, Albis, Ister, Tanais, Boristhenes & vltima Thule æternùm stupebit, semper insistẽs vestigijs. Et quoniã Te hactenus Hieronẽ Syracusanorũ in legẽdo rerũ optimarũ flore præbuisti, iam opes ingenij Tui, quas in Patrio externoq; Parnasso collegisti maximas, explicare, & fructus virtutis atq; experientiæ, quorum gratia ad tempus patrios deserueras Penates, in Remp. hoc potissimũ tempore, quo consilio & robore opus habet, effundere incipe vberrimos. Patria charissima Tuum exspectat præsidium, Religio Orthodoxa contra teterrimos Christiani Nominis hostes opem implorat, Illustris Prosapia splendoris augmentum exposcit, Pupilli deniq; ac Clientes patrocinium requirunt. Inter quos. go vel maximè, qui Tibi istam meam tenuem nec ad Cleanthis aut Epicteti lucernam, euigilatam operam, testificandi mei animi gratia pro singulari Illustrissimi Tui Parentis in Patruum meum affectu dedico & augustissimo conspectui subijcio. illud vnicum submissè expostulans, vt ei placidissimum Tuæ beneuolentiæ sinum pandere non dedigneris; vtq; dum in Palæstram Philoso-*

phicam

phicam ſatis arduam & periculoſam in luce ac oculis Matris noſtræ Academiæ primam difficultatum
cohortem fracturus prodibo patiaris & me Tuo validiſſimo Cæleſtibus ſignis inſignito clypeo protegi, &
nutantes genij ac ingenij mei vires in ipſo ancipiti certaminis conflictu contra omnes ſæuientes Ad-
uerſariorum ictus atq; inſultus Tuo fauore corroborari. vt vel ſic præmunitus animatusq; poſſim felici-
ter, tum receptui occinere, tum proſperam incruento certamini imponere coronidem. Quo ſanè Tuo
beneficio excitatus dum latè patentior ſeſe mihi offeret campus, luculentiori ſubmiſſionem & obſer-
uantiam erga Te meā teſtari enitar argumento. Modò Deum ter Opt: Max: inuoco vt Te lauda-
tiſſimum totiusq; Poſteritatis præconio victurum, candidiſſimarum virtutum vnicum propugnaculum,
tanti Herois & Imperatoris Filium, Regno huic florentiſſimo, inclytæ & peruetuſtæ Familiæ, nobisq;
omnibus cum Illuſtriſſimo Parente Tuo ac indiuiſa ab animo Tuo Anima, quàm diutiſſimè incolumē
florentemq; velit conſeruare. Dat. Cracouiæ 9. Februarij Anno Dñi. 1643.

Illuſtriſſimæ Amplitudinis Tuæ

Cliens deuotiſſimus

Vladiſlaus Michael KOLEK
Philoſophiæ & I. V. Auditor.



Per caput Inuidiæ radiosa feruntur in Astra
Hoc virtus ipsis candida monstrat iter.

Sub felicibus auspicijs
Magnifici & Admodum Reuerendi Dñi,
D. IACOBI VSTIENSIS
S. Th. & I.V. Doct. Ecclesiarum Colleg. S. FLORIANI
& S. GEORGII *in Arce Crac. Custodis Studij Crac.*
Generalis Vigilantissimi
RECTORIS.

THEOREMATA

CONTROVERSIÆ PRIMÆ.

I.

OBIECTVM adæquatum Physicæ, vt eam Aristoteles conscripsit, est CORPVS Naturale; quatenus naturale: At verò vt in sua tota latitudine potest considerari est SVBSTANTIA Finita Naturalis, quatenus Naturalis.

2. Philosophia Naturalis seu Physica, est verè scientia vna vnitate generica, simpliciter speculatiua, nec propriè Metaphysicæ subalternata, multùm vtilis & iucunda.

CONTROVERSIÆ SECVNDÆ.

1. Definitio Principiorum hæc (*Principia sunt, quæ nec fiunt ex alijs, nec mutuò ex se ipsis, ex illis autem omnia*) est recta & exacta, exprimitque conceptum communē Principij vniuocè analogicè conuenientem Materiæ, Formæ, & Priuationi, vt subsunt Relationibus Principij, & describit Principia non rei genitæ, sed generationis; & huius quidem vt est communis ad substātialem & Accidentalem, sub ratione mutationis, non verò productionis.

2. Principia intrinseca cuiuscunq; Physicæ mutationis, sunt tantùm tria nec plura nec pauciora; scilicet Materia, Forma, & Priuatio.

3. Materia concurrit ad Mutationē per modum *Subiecti* aliter se habentis nunc, quàm priùs; Forma per modum Termini ad quem transit & quem acquirit, scilicet ipsa Materia: Priuatio per modum Termini à quo transit & quem abijcit, scilicet eadem Materia.

4. Non omnia Principia Physicæ Mutationis, sunt positiuè vel priuatiuè contraria, sed duo tantùm scilicet Forma & Priuatio, quæ ambo ad inuicem per se primò & directè opponuntur.

5. Contrarietas inter Formam & Priuationem seu oppositio ista est per se Priuatiua; per accidens autem concomitanter positiua; conuenitque Formæ & Priuationi in communi, vt vtraq; earū extendit sese, tam ad Substantialē, quàm ad Accidentalē, tanquā superius ad inferiora sua.

CONTROVERSIÆ TERTIÆ.

1. Materiam & Formam substantialem dari in rerum natura est certissimum.

2. Materia est Ens reale positiuum de Prædicamento SVBSTANTIÆ; distinguiturque à Forma realiter.

3. Materia prima ante aduentum Formæ, licet careat actu formali, non tamen caret Actu Entitatiuo: & licet sit in pura potentia subiectiua; non tamen est in obiectiua.

4. Tam Materia, quàm Forma, habent suas partiales & incompletas exsistentias, ex quibus adæquata & completa Compositi coalescit exsistentia.

5. Subsistentiâ sumptâ propriè, nec Forma, nec Materia subsistit: at verò sumptâ communiter Materia subsistit, non autē Forma, excepta Anima rationali: sumptâ tandem communissimè vtraque subsistit.

6. Potentia Materiæ primæ ad omnes & singulas Formas, etiam secundum gradum specificū & indiuidualē inspectas, est Naturalis, sed indeterminata, quæ coincidit cū neutra secūdo modo.

7. Materia prima habet potentiam naturalem remotissimam ad omnes Formas etiam corruptas, si comparetur ad Formam: at verò si comparetur ad Agens, non hâbet ad Formas corruptas Potentiam naturalem, sed supernaturalem & obedientialem.

8. Potentia Materiæ remota & vniuersalis est vna ad omnes Formas: at verò particularis & proxima est multiplex, iuxta Formarum multiplicitatem.

9. Sicut Potentia Materiæ primæ sustentatiua est formaliter distincta à Potentia receptiua; ita receptiua Formæ substantialis à receptiua Formæ Accidentalis.

10. Potentia non est de Essentia Materiæ, in primo modo *dicendi per se*, neque est Accidens realiter ab illa distinctum; sed est Passio realiter ipsi identificata, & tantùm formaliter distincta.

11. Materia prima appetit tam Formam in communi, quàm omnes & singulas in particulari, nedum vt sunt Formæ, sed etiam vt sunt tales in specie & indiuiduô, idque vno, & eodem naturali ad omnes vniuersali & indeterminato appetitu.

12. Licet

12. Licet Materia prima, dum omnes Formas in particulari appetit, magis appetat nobiliores quàm ignobiliores; tamen dum est sub Forma nobiliori, adhuc appetit ignobiliorem.

13. Quamuis Materia prima pro statu isto sit cognoscibilis tantùm per ordinem ad Formam, tamen absolutè loquendo & ex natura potentiæ, est per se cognoscibilis sine tali ordine.

14. Materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis, sumendo Generationem & Corruptionem strictissimè, scilicet in ratione Productionis vel Desitionis: at verò sumēdo eam in ratione mutationis vel latè, pro quauis inceptione ac desitione, est omninò generabilis, & corruptibilis.

15. Jn Materia prima non sunt dimensiones interminatæ.

16. Materia est vna specie athoma in omnibus corporibus, & sublunaribus, & cælestibus; numero autem, dum simul tempore exsistunt, semper multiplicata: dum verò successiuè exsistūt, non semper. At si in substantijs spiritualibus daretur nō esset ita vna, sed tantū vnitate generica.

CONTROVERSIÆ QVARTÆ.

1. Formam substantialem dari in rerum natura, vt & Materiam, est certissimum.

2. Hæc definitio Formæ (*Forma substantialis est Entitas actualis* seu *Actus primarius Materiæ vnam per se cum illa constituere natus*) est bona.

3. Materiales Formæ non fiunt per actuales inchoationes in Materia præcedentes, nec totaliter recipiunt suum ESSE virtute Agentis, sed fiunt per eductionem ex potentia Materiæ.

4. Formæ materiales educuntur de Potentia Materiæ, *Educi* autem *Formam de Potentia Materiæ* nihil est aliud, *nisi Formam in suo Esse Fieri & Conseruari à Materia dependere.*

5. Omnes Formæ substantiales, etiam Cælorum & Elementorum (sola Anima rationali excepta) sunt de Potentia Materiæ eductæ.

6. Forma Corporeitatis præter Animam est necessaria in omnibus animatis: in alijs autem rebus, quæ carent animâ, minimè.

CONTROVERSIÆ QVINTÆ.

1. Plures Formæ substantiales subordinatæ, possunt simul eandem numero informare Materiam, & ita de facto contingit naturaliter in Compositis animatis.

2. Licet naturaliter non possit, supernaturaliter tamen potest, tam Forma materialis sine Materia, quàm Materia sine omni Forma conseruari.

3. Materiæ primæ præter *Pati* competit *agere*. Item Formæ præter *agere* competit *Pati*.

4. Causa totalis corruptionis Compositi est Materia & Forma simul vtraque; causa partialis est etiam vtraque in suo genere: sed causa partialis præcipua est Forma: causa tandem principalis radicalis & originaria est ipsa Materia.

5. Forma substantialis *immediatè*, id est, nulla mediante Quantitate & Qualitate, informat Materiam.

6. Materia & Forma non vniuntur se ipsis formaliter, sed media vnione illis superaddita.

7. Vnio substantialis inter Materiam & Formam est Entitas Prædicamentalis respectiua extrinsecus adueniens.

8. Vnio in Composito Physico, non est vna, sed duæ; vna ex parte Materiæ, altera ex parte Formæ.

9. Vnio non est de essentia Compositi, sed tantum conditio simpliciter necessaria, tam ad eius constitutionem, quàm etiam conseruationem.

CONTROVERSIÆ SEXTÆ.

1. PRIVATIO quatenus est negatio Formæ, non est Ens rationis, sed datur à parte rei in subiecto nullo cogitante intellectu.

2. Priuatio in Recto, & pro Formali importat negationem, pro Connotato verò & in Obliquo, dicit aptitudinen in Subiecto.

3. Priuatio realiter à Subiecto distinguitur distinctione reali priuatiua.

4. Priuatio immediatè opponitur Formæ, non autem suæ Priuationi, v. g. Cæcitas immediatè opponitur visui, non autem Priuationi Cæcitatis.

5. Priuatio per solam Formam sibi oppositam positiuè; vel per aliam superiorem virtualiter illam continentem, tollitur à Subiecto.

In

6. In eodem Subiecto, nec sunt plures Priuationes eiusdem Formæ, nec vna Priuatio omniũ Formarũ, sed tot Priuationes præcisè & adæquatè, quot Formæ possibiles haberi in illo Subiecto.
7. Priuatio non potest dici Principium Generationis per modum Termini *à Quo*, nisi in Materia præcedat tempore ipsam Formam.
8. Priuatio principiat mutationem, seu exercet actum principiandi tunc, quando ipsa Priuatio non est.

CONTROVERSIÆ SEPTIMÆ.

1. Hæc definitio Aristotelica, (*Natura est principium & Causa Motus & Quietis, in quo est primò per se, & non secundum Accidens*) est optimè assignata.
2. NATVRA non dicitur Principium Motus Violenti, aut neutri, sed tantùm Naturalis.
3. Absolutè loquendo NATVRA vtrique Principio, tam Actiuo, quàm Passiuo, tam Immanenti, quàm Transeunti, conuenit.
4. Physicè loquendo Natura principaliùs dicitur de Passiuo, quàm de Actiuo principio.
5. Priuatio, non solùm simpliciter, sed ne analogicè quidem potest dici Natura.
6. Definitio Naturæ, spectando mentem Philosophi, non conuenit Formis accidentalibus.
7. Licet Angelis, in sententia Philosophi, Natura hîc definita non conueniat; tamen secundum veritatem conuenit.
8. Omnis quidditas, & Materiæ, & Formæ, & Corporis naturalis, tam simplicis quàm compositi, secundum se spectata, potest dici Natura.
9. De mente Philosophi, Essentia Materiæ & Formæ, non potest dici Natura.
10 Quidditas Terræ & Corporum Cælestium, immò & cuiuslibet corporis naturalis etiam secundum Aristotelem, dicitur Natura.
11 Ratio Naturæ, tam Materiæ quàm Formæ cuicunque, etiam Animam rationalem vt sic, includendo, conuenit vniuocè Analogicè.
12 Natura differt ab Arte, & vt est habitus (quanquam sic in quibusdam conuenit cum illa) & vt pro Forma inducta ab Artifice (quomodo opus artificiosum dicit) accipitur.

CONTROVERSIÆ OCTAVÆ.

1. Nomine *loci*, non situs aut spatiũ, sed superficies vltima Corporis cõtinẽtis debet intelligi.
2. Locus bene definitur dicendo, quod *sit Vltima superficies Corporis continentis, immobilis primò*: vbi *superficies*, non habet rationem Generis, sed Subiecti.
3. Omnia loci attributa à Philosopho enumerata optimè superficiei conueniunt.
4. Preter locum extrinsecũ, scilicet *superficiem*, quæ ab extrinseco ambit rem locatam, debet admitti VBI, tanquam Forma Accidentalis superaddita, quâ res formaliter dicatur locata, & superficies locans.
5. VBI, non est Forma absoluta, sed merè respectiua.
6. VBI Passiuum est duplex: aliud LOCALE, aliud PRÆSENTIALE, & neutrum terminatur ad spatium Imaginarium; sed LOCALE respicit superficiem; PRÆSENTIALE verò partes virtuales Diuinæ Substantiæ vbique diffusæ.
7. Absque omni VBI *Locali Passiuo* non solùm distributiuè, sed etiam collectiuè, potest res esse; absque VBI autem *Præsentiali*, distributiuè quidem potest, sed collectiuè nequaquam.
8. Omnia corpora sunt in loco, excepto cælo vltimo, quod actualiter non est in loco, licet potentialiter sit.
9. Omnes Substãtiæ spirituales sunt in loco, solo DEO gloriosoexcepto, cui ratione immensitatis suæ, potius in loco præsentialiter, quàm in loco localiter esse conuenit.
10 Licet plura Entia corporea non possint esse in eodem loco, tamen plura incorporea, vel vnum incorporeum cum alio corporeo possunt.
11 Plura corpora possunt esse supernaturaliter in eodem loco, per mutuam penetrationem.
12 Nulla res corporea aut incorporea potest naturaliter esse in pluribus locis adæquatis vel inadæquatis, extra propriam sphæram sui loci naturalis.
13 Corpus quantum potest supernaturaliter esse in loco incircumscriptè admodum spiritus: immò & in pluribus locis adæquatis idemmet numero potest exsistere; quod idem & Angelo conuenit.

14 Idē corp⁹ numero poteſt ſupernaturaliter in plurib⁹ locis adequatis eſſe, etiā circūſcriptiuē.

15. Dum res in pluribus locis ſupernaturaliter eſſe ponitur, tunc hoc non fit per replicationē Subſtantialem, id eſt, iterum atque iterum illam rem reproducendo, ſed per replicationem Accidentalem, id eſt, plures præſentias locales in ea ponendo.

16 Formæ dependentes à Loco, licet non inſint ſubiecto vbique; tamen Formæ quæ non dependent à loco, ſi inſunt in vno loco, debent & in alio ineſſe, ita vt aliter fieri implicet.

CONTROVERSIÆ NONÆ.

1. VACVVM in rerum natura de facto non datur, nec poteſt ratio à priori aſſignari, cur Natura refugiat Vacuum, præter cauſam extrinſecam, & Congruentiam.

2. Vacuum ſupernaturaliter poteſt dari, immò & naturaliter, ſi Vniuerſum ſecundum proprias vires ſpectetur, non autem vt ſubeſt Dei decreto.

3. Corpora ad prohibendū Vacuum nō mouētur à principio intrinſeco, ſed tantū ab illo ſolo extrinſeco, à quo corpus illud, in cuius locum aliud violenter motum ſuccedit, mouetur.

4. Motus in corpore ad replendum Vacuum moto, reſpectu corporis particularis eſt violentus: at verò reſpectu totius Vniuerſi eſt naturalis.

5. Non repugnat Motum fieri in Vacuo, præcipuè Motum Lationis, immò & alios motus, non tamen omnes.

6. Motus, qui in vacuo fieret, Succeſſiuus, non autem Inſtantaneus foret.

CONTROVERSIÆ DECIMÆ.

1. Verè datur TEMPVS intrinſecum, & duratio ſucceſſiua.

2. Temporis intrinſeci, ſi largè ſumatur, formale ſignificatum eſt rerum tranſeuntium, tam ſucceſſiua, quàm inſtantanea exſiſtentia: at vero ſi ſumatur ſtrictè, tunc formale eius ſignificatum, erit duratio ſucceſſiua, & ſucceſſio partium, ſi eſt eſſentialis.

3. Tempus intrinſecum tam ſtrictè, quàm largè acceptum, à re ipſa cuius eſt Tempus non differt realiter, ſed tantùm formaliter.

4. Tempus extrinſecum pro materiali eſt Motus primi cæli, pro formali veró, ſupra iſtum motum, addit rationem menſuræ actiuæ in actu proximo primo,

5. Tempus Extrinſecum eſt vnum numero: at verò Intrinſecum multiplicatur, nō ſolùm numero, ſed etiam ſpecie, ad multiplicationem numericam, vel ſpecificam motuum.

6. Tempus Intrinſecum eſt aliquid reale ab anima independens, ſimiliter & Tempus Extrinſecum, fundamentaliter acceptum: at verò formaliter ſumptū neceſſariò dicit aliquid rationis.

7. Tempus Extrinſecum pro fundamento remoto acceptum, non diſtinguitur realiter à Subiecto, ſcilicet à motu primi Mobilis: at verò acceptum pro fundamento proximo, ſcilicet pro rationibus fundamentalibus, realiter diſtinguitur à motu primi Mobilis: acceptum verò pro Formali ſcilicet pro menſura proxima aptitudinali, vel pro actuali ipſa menſuratione, diſtinguitur à motu realiter, ſecundum quid: tandem à menſurato ſemper diſtinguitur realiter, vel ſimpliciter, vel ſecundum quid.

8. Ratio Menſuræ ſoli Tempori Reali aut Imaginario & Durationi ſucceſſiuæ, non verò permanenti, quale eſt Æuum, aut Æternitas conuenit.

9. Definitio iſta (*Tempus eſt numerus motus, ſecundum prius & poſterius*) eſt optima. Vbi Tēpus eſt numerus, non numeratus, ſed potius numerans, non quidem ſimpliciter, ſed ſecundum quid; per motum autem debet intelligi, non ſubiectum temporis, ſed Terminus.

CONTROVERSIÆ VNDECIMÆ

1. Motus naturalis formaliter dicit quid reſpectiuum, nempè ſucceſſionem Termini *Ad Quē* poſterioris, poſt Terminum *A Quo* priorem immediatè præcedentem, vt in ſubiecto.

2. Motus, vt abſtrahit à Motu naturali, & ſupernaturali, ſolùm dicit ſucceſſionem Termini *ad Quem*, poſt Terminum *á Quo* immediatè præcedentem, præſcindendo à quocunque ſubiecto.

3. Motus pro formali acceptus, realiter diſtinguitur à Subiecto, Termino, Actione, & Paſſione

4. Termini motus naturalis, immò & præciſiſſimè ſumpti, non ſunt ſimul tēpore, ſed Terminus *á Quo* præcedit Terminum *ad Quem*.

5. Hæc definitio (*Motus eſt Actus Entis in potentia, quatenus in Potentia*) eſt optima, non tamē purè quidditatiua

Defi-

6. Definitio ſuperior, non motui præciſè ſumpto, ſed tantùm motui Phyſico, viribus naturæ factibili conuenit, & huic quidem omni, ſcilicet Inſtantaneo, Succeſſiuo, Deperditiuo, Acquiſitiuo, Naturali, Violento, Neutro, Artificiali, Æterno, & operationibus Animaſticis, vt ſunt ſenſationes, & Intellectiones.

7. Diuiſio Motus in Subſtantialem & Accidentalem eſt eſſentialis: diuiſio verò in Naturale, Violentum, & Neutrum, eſt accidentalis; ſimiliter, diuiſio in motum inter Terminos Poſitiuos, & motum inter Terminum vnum Poſitiuum, & alium Negatiuum: Diuiſio autem in Inſtantaneum & ſucceſſiuum, aliquando eſt Subſtantialis, aliquando Accidentalis.

8. Diuiſio Motus in ſucceſſiuum & inſtantaneum, tunc eſt eſſentialis, quando Inſtantaneitas & ſucceſſio proueniunt in Motu ab Intrinſeco: tunc verò eſt Accidentalis, quando proueniunt ab Extrinſeco.

9. Succeſſio in Motu Succeſſiuo, qua differt ab Inſtantaneo, formaliter non dicit Quantitatem, aut negationem ſimultatis partium, ſed dicit Relationem, ſeu ordinem partium, ſecundum prius & poſterius, communi Termino copulatarum, dum eſt ſucceſſio continua, vel ordinē plurium non habentium Terminum communem, ſi eſt diſcreta.

10 Motus propriè acceptus, non aliter differt à Mutatione propriè ſumpta, niſi quia hæc terminatur ad *Eſſe* ſimpliciter, ſeu Subſtantiale, ille verè ad *Eſſe* ſecundum Quid, ſeu Accidentale.

11 Motus in cōmuni accepti duæ ſunt ſpecies: ſcilicet. Mutatio propriè dicta & motus propriè acceptus: deinde motus propriè dicti ſecundum Philoſophum, poſſunt duæ ſtatui Species: ſcilicet Motus Succeſſiuus & Motus Inſtantaneus.

12 Motus in communi acceptus, ad quatuor per ſe datur Prædicamenta: *Primò* ad Subſtantiā etiam quando Forma eſt à ſubiecto independens, & vocatur Generatio & Corruptio, *Secundò* ad Quantitatem, & dicitur Augmentatio & Diminutio: *Tertiò* ad Vbi, & dicitur Latio ſeu Motus localis: *Quartò* ad Qualitatem, & dicitur Alteratio, quæ ſi accipiatur ſtrictè, ſolum erit ad Paſſionem vel Paſſibilem Qualitatem; ſi autem communiter erit ad Primam, Secundam & Tertiam Speciem; non autem ad Quartam, Porro ad alia Prædicamenta non datur motus.

13 Motus acceptus materialiter pro Forma fluente, eſt in quatuor Prædicamentis, ſcilicet in Subſtantia reductiuè, in Quantitate, Qualitate, & Vbi directè: acceptus verò pro receptione Formæ, ſeu informatione paſſiua Subiecti, eſt in Prædicamento Habitus: tandē acceptus formaliter pro ſucceſſione Termini *Ad Quem*, poſt Terminum *A Quo* reducitur ad Prædicamentum ſui Termini.

14 Motus non ſolùm eſſentiales, ſed etiam accidentales habet Species.

15. Motus nec genericam, nec ſpecificam vnitatem, deſumit à Tempore.

16 Vnitas Generica, qua motus Phyſicus à Supernaturali diſtinguitur debet ſumi à Subiecto Vnitas autem generica, qua motus propriè dictus differt à mutatione propriè dicta, ſumitur à Subiecto & à Termino *Ad Quem*.

17 Vnitas ſpecifica motus non accipitur per ſe ab Agente, neque à Termino *A Quo*, neque à Subiecto, ſed tantùm à Termino *Ad Quem*.

18 Vnitas numerica Entitatiua, Intrinſeca, ſeu Metaphyſica Motus licet intrinſecè proueniat à propria hæcceitate; tamen extrinſecè dignoſcitur & ſumitur ab Vnitate numerica Mobilis, & Termino *Ad Quem*, non verò Temporis, vel Motoris.

19 Ad Vnitatem continuatiuam motus, requiritur Vnitas continuatiua Mobilis, Termini *Ad Quem* & Temporis, non autem Motoris.

20 Licet Generatio animatorum ſit inſtantanea, Generatio tamen inanimatorum: item Nutritio, Augmentatio, Alteratio inter contrarias qualitates, & motus localis, fiunt naturaliter ſucceſſiuè: poteſt etiam naturaliter aliqua alteratio dari in inſtanti.

21 Omnes motus ſucceſſiui poſſunt ſupernaturaliter fieri in inſtanti & includere totam Realitatem, excepto motu locali, qui eo caſu tantùm realitatem termini motus includeret, etiam ſpectata Dei potentia.

22 Motus quieti priuatiuè, immobilitati verò contradictoriè opponitur.

CONTROVERSIÆ DVODECIMÆ.

1. Cælum, in principijs Philoſophi, non eſt compoſitum ex Materia & Forma, immò hoc potius eſt aſſerendum ſecundum lumen naturæ: at verò ſecundum Theologos omnino conſtat ex Materia & Forma.

2. Materia Cæli est eiusdem rationis cum sublunari.

3. Forma Cæli, non est de genere animatorum, tam secundum veritatem, quàm secundum Aristotelem, sed est de genere inanimatorum.

4. Secundum Veritatem Cæli inter se numero differunt; ab Astris verò specie: Astra autem inter se, quædam specificè distinguuntur, quædam etiam possunt esse eiusdem Speciei.

5. Supposita Substantiali compositione Cæli ex Materia & Forma, Cælum extrinsecè non est corruptibile: at intrinsecè est corruptibile.

6. Cæli nec sunt formaliter calidi, nec frigidi, nec humidi, nec sicci. itē nec sapidi, nec odoriferi, item nec graues, nec leues: item nec molles, nec duri: item nec fortè colorati.

7. Cæli sunt formaliter Quanti & sphæricè perfectè figurati: item densi non rari, diaphani non opaci. Astra quoque sunt sphæricè figurata, densa, sed nec perfectè diaphana, nec opaca, præter Lunam, quam totaliter esse opacam est probabiliùs.

8. Cæli ex seipsis non sunt lucidi, sed à Sole & cæteris Astris illuminantur: Idem de Luna dici debet: at verò cætera Astra probabiliter non solùm à Sole illuminantur, sed etiam propriam habent lucem.

9. Omnes stellæ, immò & Planetæ, Luna exceptâ scintillare dicuntur.

10 Accidentia communia corporibus cælestibus, tam inter se quā cum sublunaribus comparatis, sunt eiusdem Speciei.

11 Planetæ, Astra, item primum Mobile influunt in hæc inferiora: at Cæli primo Mobili inferiores, & Cælum Empyreum, nequaquam.

12 Motus cælestis, nec Soli, nec Lunæ, nec vlli corpori, est ratio agendi, aut Conditio, sine qua corpora cælestia, vel sublunaria non agerent, sed tantùm est Conditio necessariò requisita, vt Astra ordinatè producant effectus.

13 Licet probabile sit lumen esse causam caloris, tamen probabilius est Astra aliâ virtute calefacere, & aliâ illuminare.

14 Præter Motum, & lumen, debent in cælis admitti influentiæ, quibus Cæli agant in hæc inferiora: non quidem per motum & lumen, tanquam instrumenta, sed per proprias ac distinctas actiones.

15 Ecclipsis non tantùm Soli, aut Lunæ, sed etiam Astris dicitur conuenire, si scilicet Luna inter Stellam & visum nostrum interponatur.

16 Ex siderum obseruatione perfectè habita, certò possunt præcognosci etiam in particulari effectus, ad statum cæli pertinentes, qui scilicet à solo motu cælesti dependent. vt sunt Ortus, Occasus, Aspectus. Coniunctiones siderum, Ecclipses, &c. at effectus naturales ab alijs concausis prouenientes, vt sunt Morbi, Tempestates, Pluuiæ, Siccitates, Sterilitates, nonnisi omnibus causis præuisis certò præcognoscuntur.

17 Ex siderum, & aliarum concausarum præcognitione, possunt certò præcognosci inclinationes hominis, temperamenta, Complexio, & naturalis ad bene vel malè operandum circa determinata rerum genera aptitudo, non solùm vt in principio est indita homini, sed etiā pro quodam certo & determinato vitæ tempore, & ideò certitudine quadam morali ex hac cognitione poterit inferri hominem forè felicem, vel infelicem ratione quadam vniuersali.

18 Ex præcognitione siderum quantumcunque perfecta nullo modo possunt præcognosci certitudinaliter, vel probabiliter effectus omninò ab humana voluntate pendentes, & in particulari, neque effectus fortuiti, aut casuales, etiam necessarij.

19 Ex siderum obseruatione, quam pro statu isto possumus habere, solùm effectus illi possunt præcognosci aliqualiter & imperfectè, quorum præcognitio potest ex Astrologia in se haberi, nō tamen certò, sed probabiliter.

20 Astra causant in his inferioribus ista Accidentia, lumen, calorem, siccitatem, motum localem, item frigiditatem, & humiditatem.

21 Sicut falsum est, Astra omnes Formas substantiales posse producere, ita quoque falsum est nullas posse producere: Nam mixta imperfecta à corporibus cælestibus causantur totaliter.

22 Imperfectorum viuentium Forma corporis potest totaliter ab Astris produci: at perfectorum viuentiū non potest totaliter, sed tantū coadiuuādo, semen & debiliorē sexū in actionibus.

23 Nulla Anima nec vegetatiua, nec sensitiua, nec Rationalis, siue perfectorum, siue imperfectorum, neque principaliter, neque instrumentaliter potest produci ab Astris.

Astra

24 Astra in intellectum & voluntatem humanam, directè & per se, nequaquam possunt influere, quamuis indirectè & per Accidens possint.

CONTROVERSIÆ TERTIÆDECIMÆ.

1. Elementa non formaliter, sed virtualiter remanent in Mixto.
2. Mixtū continet Elemēta virtualiter, non tantū accidētali, sed etiā substātiali virtualitate.
3. Dantur de facto octo temperamenta difformia, nec repugnat naturaliter Temperamentum æquale ad pondus.
4. Elementa sunt Generabilia & Corruptibilia, non solùm secundum partes, sed etiam secundum totum, tamen actuali corruptione solùm secundum partes corrumpuntur.
5. Potest ex quolibet Elemento aliud quodcunque generari immediatè siue sint symbola siue dissymbola.
6. Singulis Elementis propriæ conueniunt Qualitates, ita vt Ignis sit calidus & siccus, Aër calidus & humidus, Aqua frigida & humida, Terra sicca & frigida.
7. Singulis Elementis conueniunt in summo Qualitates aliquæ: scilicet, Igni calor, Aëri humiditas, Aquæ frigiditas, Terræ siccitas.
8. Nec aër in summo est calidus, nec aqua in summo humida.
9. Calor, Frigus, Humiditas, & Siccitas, sunt Formæ Positiuæ ab ipsis Calidis, Frigidis, Humidis, & Siccis realiter distinctæ.
10 Qualitates primæ quatuor rectè à Philosopho definiuntur, & in omnibus corporibus, etiā in Elementis sunt Formæ Accidentales.
11 Qualitates virtuales sunt in mixtis admittendæ, licet in Elementis non admittantur.
12 Inter Qualitates corporū sublunariū scilicet materiales istæ prædictę, sunt omniū primæ.
13 Singulis qualitatibus primis conuenit Actiuitas & Resistentia Formalis, sed in Actiuitate primum locum habet Calor, secundum Frigus, tertium Humiditas quartum Siccitas. In resistentia verò è contra: primum Siccitas, secundum Humiditas, tertium Frigiditas, quartum Caliditas.
14 Per Antiperistasim & reflexionem, verè & realiter intenditur Qualitas.
15 Jn alterationis motu fit Reactio secundum eandē partem & contrarietatē, quandoq; etiā & in motu locali in aliquo sensu, sed in Motu Generationis & Augmentationis nequaquam.
16 Per Rarefactionem, nec Substantia vlla, nec Quantitas acquiritur: similiter neque per Condensationem deperditur.
17 Terminus qui in Rarefactione & Cōdensatione per se acquiritur, nō est Qualitas, sed noua extensio localis, maior vel minor partium locati, ad Prædicamentum SITVS pertinens.
18 Generatio substantialis sub ratione productionis, datur, & rectè definitur: *Quod sit Actio productiua Compositi substantialis, dependenter à subiecto.*

CONTROVERSIÆ QVARTÆDECIMÆ.

1. Anima non est Accidens, sed Substantia; non corpus, sed actus simplex; non assistens, sed informans: & rectè à Philosopho lib: 2. text: 6, definitur: *quod sit Actus primus Corporis Physici organici, potentiâ vitam habentis.*
2. Anima est triplex: Vegetatiua, Sensitiua, & Rationalis. Datur enim Anima Vegetatiua, quæ non sit sensitiua: item Anima sensitiua, quæ non sit rationalis: & tandē ipsamet Anima rationalis. Prima reperitur in Plantis, Secunda in Brutis, Tertia in Homine: & consequenter tria sunt animarum genera.
3. Anima rationalis secundum gradum intellectiuum est Forma non assistens sed informans, & multiplicatur ad multiplicationem hominum, neque migrat de vno in aliud corpus, siue humanum, siue brutale.
4. Jn partes essentiales scilicet Materiam & Formā quælibet Anima est indiuisibilis: at verò in partes integrales, seu Entitatiuas, sola Rationalis est indiuisibilis, cæteræ verè sunt diuisibiles.
5. Animæ diuisibiles scilicet Vegetatiua & Sensitiua sunt homogeneæ seu vniformes.
6. Jn quolibet Viuente vna tantùm anima inuenitur, cæteras inferiores continens,
7. Partes fluidæ non sunt animatæ: at verò Dentes, Cornua, Rostra, Plumæ, & Vngues omninò, de Capillis autem & Pilis, est incertum.
8. Sedes Animæ non est triplex, sed vnica, & ea quidem ipsum Cor, non verò cerebrū, & omnia membra, quoad vitam dependent à Corde: vnde Cor est pars nobilior omnibus alijs.

9. Anima Vegetatiua & Sensitiua nõ est immortalis: at verò Rationalis est omninò immortalis.
10 Animæ Rationalis immortalitas est de fide, & licet Arist: id cognouerit, tamen hoc cum formidine oppositi docuit: Nam pro statu isto, non potest ostẽdi rigorosa Demõstratione, licet possit probari aliter quàm demonstratiuè Animam Rationalem esse immortalem.

CONTROVERSIÆ QVINTÆDECIMÆ.

1. POTENTIÆ vt *Intellectus, Voluntas*, & aliæ omnes tam vegetatiuæ quàm sensitiuæ non differunt realiter ab Anima; sed solùm formaliter.
2. Potentiæ sensitiuæ sunt simul actiuæ & passiuæ producendo (partialiter tamen) & recipiendo in seipsis sensationes.
3. Sensibilitas in obiecto formaliter dicit quandam aptitudinem & passionem obiecti, qua potens est concurrere ad actum sensationis, vel immediatè vel mediante specie: aut saltem eum terminare; fundamentaliter verò dicit radicem talis aptitudinis, quæ est Obiecti essentia.
4. Obiectum Sensus externi non potest esse, nisi sit *Primò* Ens reale: *Secundò* Corporeū seu materiale, nam spirituale nec supernaturaliter quidem potest attingere sensus. *Tertiò* accidentale: nam Substantia non est per se sensibilis, sed sentitur medijs accidentibus. *Quartò* Singulare ita tamen vt ipsum Singulare ex natura communi & singularitate constitutum sit principium *Quod*, natura communis sit ratio formalis mouendi, & principium *Quo*, Singularitas autem sit tantùm conditio *sine qua non*.
5. Tam in Sensibus externis quàm internis dantur Species sensibiles; quæ sunt non corpuscula substantialia; sed Qualitates de prima vel tertia Specie alterius rationis ab Obiectis, & imperfectiores ipsis.
6. Subiectum earum est medium proportionatum; item spiritus in sensibus exsistentes, at non vltimatum: vltimatum verò Subiectum non Anima aut Materia prima, sed sunt potentiæ sensitiuæ: porrò in quo subiectantur de eiusdem potentia educuntur.
7. Species sensibiles non producuntur à sensu neque totaliter, neq; partialiter cũ Obiecto; sed tantum ab ipso Obiecto sensibili & eo quidem sensibili per se proprio, non verò sensibili per se communi; aut sensibili per accidens.
8. Tam actus sensationis externi, quàm Species externæ producunt proprias Species in sensibus internis.
9. Species sensibiles sunt diuisibiles tam subiectiuè quã obiectiuè & de sua ratione formali non dependent in conseruari ab Obiectis: nec per species contrarias, sed ad variationem Subiecti corrumpuntur: & sicut internæ concurrunt actiuè ad producendas sensationes internas; ita externæ ad externas.
10 Species sensibilis non est similitudo obiectiua & medium *Quod* respectu obiecti, neque similitudo formalis obiecti in ea significatione quasi nempe sit eadem entitas obiecti sub modo essendi non naturali, sed repræsentatiuo, licet in alia significatione possit dici similitudo formalis obiecti.
11 Ad actum vitalem non sufficit receptio speciei in potentia; sed requiritur quoque actio ipsius potentiæ vitalis.
12 Per actionem istam potentiæ vitalis, quæ ad actum vitalem præter receptionem requiritur, producitur terminus aliquis de prima vel tertia specie Qualitatis includens tres respectus, duos ad potentiam, scilicet Producti ad Producens, & Recepti ad Recipiens, & tertium ad Obiectũ, ad quod tendit, vt ad terminum, diciturque respectus tendentiæ vel attingentiæ.
13 Actus vitalis cuiusmodi est (*Intellectio, Volitio, Visio, Auditio, &c.*) non potest intrinsecè & formaliter importare aliquem ex illis tribus respectibus, quorum modò fuit mentio facta, nec qualitatem illam cum aliquo istorum respectuum, vel cum omnibus istis respectibus, sed tantùm importat illud absolutum includens in nobis istos respectus.
14 Potest dici quod vitalitas Potentiæ consistat in actuali elicitione seu productione proprij actus, quæ fundamentaliter importat entitatem potentiæ; formaliter verò dicit relationem Producentis ad Productum, vt est in omnibus causis effectiuis.
15 Operari vitaliter in potentia non dicit nec designat respectum Producentis, vel Recipientis actum, sed potius tendentiam illam potentiæ in Obiectum medio actu vitali, quo vnitur Obiecto, id est percipit illud, & intentionaliter ei copulatur, licet in nobis productio & receptio præsupponantur.

Actus

16 Actus vitales imperfecti vtriuſque generis, id eſt, & illi quibus correſpondent operationes vitales, item & illi quibus quidpiam aliud pro termino aſſignatur, vt vitales, non poſſunt conſurgere non agente potentiâ etiam ſupernaturaliter.

17 Actus vitales perfecti, ſcilicet: Volitio, intellectio, & ſenſatio quælibet non dependent ita à Potentijs, vt à Deo immediatè non poſſint produci, ſiue in Potentijs, ſiue in ſe ipſis exſiſtentes, & hoc etiam vt vitales ſunt, & ſi in potentia ponerentur, verè illam potentiam denominarent operantem vitaliter.

CONTROVERSIÆ SEXTÆDECIMÆ.

1. Senſorium viſus non in aliqua tunica præciſè, neque in neruis opticis, ſed in humore Cryſtallino, ſeu in Pupilla debet conſtitui.

2. Viſus in animalibus, quæ non vtuntur motu progreſſiuo, non datur, in illis verò quæ vtuntur, an detur in omnibus, dubium eſt.

3. Obiectum adæquatum potentiæ viſiuæ proprium, eſt Qualitas viſibilis, prout Lucem, Lumen, & colorem comprehendit.

4. Lumen eſt alterius rationis à luce, & eſt cum ipſa Accidens de prædicamento Qualitatis.

5. Productio Luminis in medio, quæ vocatur illuminatio, fit per ſe in Inſtanti, per Accidēs verò poteſt fieri ſucceſſiuè & in tempore.

6. Lumen educitur de Potentia Subiecti, & non ſolùm in perſpicuo, ſed etiam in opaco recipitur ſæpiſſimè ſecundum aliquã profunditatem, aliquando etiam ſecundũ ſolã ſuperficiem.

7. Lumen primarium eſt ſpecies viſibilis lucis, ipſum tamen videtur per lumen ſecundariũ, tanquam per propriam ſpeciem.

8. Cauſa immediata luminis recti, fracti, & reflexi propriâ reflexione, eſt ipſum lucidum; Luminis autem reflexi impropria reflexione, eſt lumen à lucido productum.

9. Lumen, & quælibet alia ſpecies viſibilis, dependet in Fieri & Conſeruari ab Obiecto.

10. Lumen & Perſpicuum rectè à Philoſopho definitur ſic, *Lumen eſt Actus perſpicui ſecundũ quod perſpicuum eſt*: Perſpicuum *verò eſt viſibile non ſecundum ſe, ſed propter externum colorem.*

11. Color diſtinguitur à ſuperficie, nec in Quãtitatis, ſed in Qualitatis reponitur Prędicamēto.

12. Omnes colores & permanentes, & per corpus coloratum tranſeuntes, & ex determinato loco viſibiles, & in collo columbæ, ſpecificè diſtinguuntur à Lumine.

13. Colores ſubiectantur, non ſolùm in mixtis, ſed etiam probabiliter in Elementis, immò fortè & in Aſtris, nec tantùm in ſuperficie, ſed quandoque etiam in profundo.

14. Ad videnda obiecta interna, ſufficit medium internum: At verò ad obiecta externa conſpicienda, requiritur etiam medium externum.

15. Externi medij conditiones ſunt iſtæ, prima debet eſſe perſpicuum non opacum, ſecunda plenum non vacuum, tertia proportionaliter illuminatum.

16. Lumen, & ex parte medij ad videndam lucem, & colorem, & ex parte ipſius ſenſorij ſcilicet Humoris cryſtallini, eſt neceſſarium: ſimiliter & ex parte Obiecti.

17. Viſio non fit per extramiſſionem, vel per ſolam intùſſuſceptionem ſpecierum ab Obiecto per medium illuminatum diffuſarum, in oculis receptarum.

18. Rem videmus per modum Pyramidis, & clariùs quidē duobus oculis cōſpectã, quàm vno.

CONTROVERSIÆ SEPTIMÆDECIMÆ.

1 Senſorium ſeu organum Auditus, non ſunt ſpiritus animales; neq; illa tria oſſicula, quibus eſt affixa Myringa; neque membrana, quæ vocatur Tympanum ſeu Myringa; neque neruus auditorius à cerebro procedens; neq; aggregatũ ex auditorio neruo, & aërea ſubſtantia, ſeu Aëre innato: ſed eſt ipſa ſubſtantia aërea, in cauitate aut Cochleæ, aut Tympani reſidens.

2. Auditus non omnibus animalibus eſt à natura datus.

3. Obiectum Auditus eſt ſonus, cuius cauſa effectiua ſunt tria ſemper omninò Corpora, realiter diſtincta, ſed non neceſſariò diſcontinua: Duo ſonantia ſeſe percutientia, quæ per ſe concurrunt, vt cauſæ, & tertium medium, quod intercipitur frangitur & atteritur, atque eſt tanquã conditio requiſita.

4. Sonus eſt qualitas de tertia Specie Qualitatis, non autem motus localis.

5. Opinio affirmans ſonum ſubiectari in corporibus ſeſe percutientibus, magnam habet probabilitatem. Cæterum negans hoc idem opinio, non eſt improbabilis.

6. Vox eſt percuſſio reſpirati aëris ab Anima, quæ eſt in his partibus ad vocalem Arteriam cum imaginatione aliqua.

7. Vox tantùm animalibus conuenit, non omnibus, ſed ijs ſolùm quæ reſpirant: Rebus autē inanimatis nonniſi metaphoricé poteſt conuenire.

8. Sermo, ſeu loquella, ſeu locutio, nihil eſt aliud, niſi vox articulata, & non ſolùm in hominibus, ſed etiam & in brutis ſuo modo datur.

9. Sonus internus, fit immediatè in ipſo aëre innato, & ſi accedat ſuapté natura abſque concurſu alieni humoris, tunc eſt ſignum bonæ diſpoſitionis, quia ſignificat optimum temperamētum Auditus; ſi autem fiat propter concurſum alieni humoris, tunc eſt ſignū prauæ diſpoſitionis.

10 Sonum externū (ſuppoſitâ ſentētiâ probabili quæ negat corpora ſe percutientia eſſe ſubiecta ſoni) ſecundùm realem Entitatem in medio reſiliente recipi, eſt certiſſimum: at veró ſuppoſitâ aliâ ſententiâ quæ affirmat in corporibus ſe percutientibus ſubiectari ſonum, hoc idem eſt tantùm probabile.

11 Sonus non ſecundùm *Eſſe* reale, ſed ſecundùm *Eſſe* intentionale, & proprias ſpecies audibiles ad aures defertur, non ſolùm quando Auditio fit in loco diſtanti, ſed etiam quando aër cōmotus eſt propé aurem.

12 Sonus nullo modo poſt primam productionem ſecundùm *Eſſe* reale etiam in propria Sphæra ſeſe multiplicat, ſed ſolùm ſecundùm *Eſſe* intentionale.

13 Species ſoni per quas ſonus ſeſe multiplicat, non diffunduntur per medium, vſque ad organum in inſtanti, & totæ ſimul, ſed tantùm ſucceſſiuè, per partes ſpatij ceſſando in præcedentibus, & incipiendo in ſubſequentibus.

14 Jn loco remoto non ſonus immediaté, ſed ſpecies ſoni percipitur,

15 Non ſolùm aër, ſed etiam Ignis & Aqua, immò & alia corpora ſolida, poſſunt ſtatui pro medio apta ad recipiendas Species audibiles.

16 Echo eſt ſonus reflexus: porrò iſta reflexio, non eſt ipſius ſoni realis, neque aëris agitati, ſed ipſarum Specierum Audibilium.

CONTROVERSIÆ OCTAVÆDECIMÆ,

1 Senſum Olfactus qui eſt quædam Potentia ſenſitiua odoris cognoſcitiua, non omnibus animalibus dedit natura.

2. Senſorium immediatum Olfactus non eſt cerebrum, neque nerui, neque cribrum, neque membrana cooperiens, ſed ſunt proceſſus mamillares, ſeu carnea Tubercula intra naſum.

3 Obiectum Olfactus eſt Odor, qui formaliter, non eſt vapor aliquis ſubſtantialis, ſed eſt Forma accidentalis de tertia ſpecie Qualitatis, & ſolet potiſſimum ex prædominio ſiccitatis oriri.

4. Medium per quod Odor ſolet diffundi eſt aër & aqua, alia verò corpora ſolida minimè; quo quidem in medio probabilius eſt odorem multiplicari realiter, non per realem productionē, ſed per euaporationem.

5. Olfactus ſeu olfactio non poteſt fieri niſi per ſpecies ſenſibiles, non ſolùm quando exhalatio non peruenit ad organum, ſed etiam tunc, quando peurenit.

CONTROVERSIÆ NONÆDECIMÆ.

1 Guſtus differt ſpecificé á Tactu, & conuenit omnibus animalibus, non tamen valdé imperfectis: organum ipſius reſidet in ore, & ſpecialiter in lingua atque palato conſiſtit ſenſorium.

2. Vapor, qui pro obiecto ſenſui Guſtus aſſignatur; eſt Qualitas quædam Paſſio dicta, facta à ſicco in humidum, alteratiua Guſtus ſecundùm potentiam in actu? concurrens ad ſenſationem intentionaliter, & diuiditur vulgò in octo ſpecies.

3. Senſus Tactus eſt tantùm ſpecie athoma vnus, porrò ſenſoria eius, non ſolùm ſunt nerui ſed etiam Caro, ita tamen, vt Caro à neruis dependeat.

4. Obiectum adæquatum Potentiæ Tactiuæ eſt Qualitas tangibilis, quæ in ſeptem contrarietates diuiditur, in Calidum & Frigidum, Humidum & Siccum, Graue & Leue, Durum & Molle, Lubricum & Aridum, Aſperum & Leue, Craſſum & Tenue.

5. Ad Tactum nullum medium, neque externum, neque internum per ſe requiritur, licèt quandoque per accidens tantùm inſeruiat.

6. Qualitas obiecti per ſe percipitur à Tactu, non per qualitatem organi, de hac tamen eſt dubium, an percipiatur.

Tactus

7. Tactus primarum qualitatum excellentias solummodò sentit; aliarum verò qualitatum scilicet secundarum, an tantùm Intensiorem, an verò & Intensiorem & Remissiorem sentiat gradum, dubium est.

8. Obiectum Tactus mediante specie; non verò immediatè ad sensationē Tactionis cōcurrit.

CONTROVERSIÆ VIGESIMÆ.

1 Cum nec in brutis, nec in hominibus Potentia sensitiua eliciat actus iudicij, & discursus; ideò non septem sed quinque tantùm actus in Sensu interno sunt ponendi, scilicet Discernere, Phantasiari, Imaginari, Æstimare, & Memorari.

2. Sensus internus, si rem spectes, est tantùm vnus in quouis animali; si verò nomina, quibus in ordine ad suos actus appellatur, est quinduplex, scilicet Sensus communis, Phantasia, Imaginatiua, Æstimatiua, & Memoria: vnde Sensus communis, Phantasia, Imaginatiua, Æstimatiua, & Memoria, nihil est aliud, nisi ipsemet Sensus communis, seu Internus, prout Discernit, Phantasiatur, Imaginatur, Æstimat, & Recordatur.

3. Verè datur in Brutis potentia aliqua interna sensitiua, ab externis distincta, quoad actus, & quoad nomina ipsis licet non omnibus æquè perfectè conueniens.

4. Subiectum immediatum, seu potiùs organum, vel sensorium Sensus Interni in quo exercentur sensationes internæ, non est Cor, sed Cerebrum, non secundú Meninges, vel cellulas, sed secundùm medullam, & substantiam ipsam cerebri.

5. Obiectum adæquatum Sensus interni est Sensibile in communi.

6. Sensus internus cognoscit obiecta externorum sensuum, non tamen apprehendit ipsorum conuenientiam vel disconuenientiam, amicitiam vel inimicitiam, & hoc primis actibus.

7. Sensus internus percipit aliquomodo negationes, & priuationes, non tamen per proprias species insensatas, sed per affirmationem oppositam, vel eius speciem & mediatè

8. Sensus internus per proprias species distinctas ab illis, quibus obiecta percipiuntur, cognoscit actus proprios, & sensationes externas.

CONTROVERSIÆ VIGESIMÆ I.

1 Intellectus est potentia immaterialis & inorganica,

2 Intellectus Agens est principium animæ nostræ, non ceu habitus principiorum primorum, aut forma substātialis animæ sed velut vera facultas ipsius instar propriæ passionis ab ea dimanās

3 Intellectus Possibilis licet in *esse intelligibili* sit pura potentia; non tamen in genere *Entis*, seu *esse reali*.

4 Intellectus Agens ab intellectu Possibili distinguitur distinctione non reali, sed formalí incompletâ & inchoatâ, scilicet non tanta quāta est inter cæteras potentias ab inuicem quia non sunt velut duæ potentiæ animæ, sed velut duæ realitates eiusdem potentiæ.

5. Intellectus practicus & speculatiuus non geminant potentias

6. Actio illustrandi & illuminandi phantasmata, *ceu* proprium munus conuenit Intellectui Agenti: Porro illustratio ista Phantasmatum ab intellectu Agente non fit obiectiuè, neque formaliter, neque radicaliter, sed effectiuè, quatenus scilicet Intellectus Agens eleuat Phantasmata, & concurrit cum ipsis ad producendas Species intelligibiles, in quibus solis obiecta redduntur intelligibilia, quæ in phantasmatibus erant solùm potentiâ intelligibilia.

7. Species intelligibiles ad cognitionē abstractiuā sūt necessariæ, ad intuitiuā verò minimè

8. Species intelligibiles possunt intendi, & licet sint ex se corruptibiles, tamen ex perpetuitate sui subiecti scilicet intellectus perpetuò post intellectionem conseruantur.

9. Causa earum non est Intellectus Possibilis nec phantasma solum in intellectu coniuncto, nec Obiecta materialia immediatè in intellectu separato, sed est Intellectus Agens non tamen causa totalis quia & phantasma vel obiectum: extra concurrit actiuè in genere causæ efficientis ad productionem earum.

10. Datur Memoria intellectiua prout sumitur & pro Potentia conseruatiua specierum repræsentantium obiecta absolutè præscindendo ab omni præteritione; & pro Potentia conseruatiua specierum Præteritorum vt sunt præterita

11 De lege ordinaria pro hoc statu necessaria est conuersio ad Phantasmata in omni intellectione, non solùm in prima, sed etiam in secunda motione; non tamen formaliter & immediatè sed solùm concomitanter.

CONTROVERSIÆ VIGESIMÆ II.

1. Principium productiuum actualis intellectionis debet esse intellectuali naturæ intrinsecum; & tale est intellectus, quem actiuè concurrere ad intellectionem est certissimum: Phantasma verò nequaquam est pincipium intellectionis productiuum.

2. Ad producendam intellectionem non solùm Intellectus, sed etiam Obiectũ physicè actiuè concurrit, magis tamen principaliter Intellectus; nisi Obiectum sit supernaturale.

3. Intellectio non est actio productiua termini, qui appellatur VERBVM mentale, aut species obiecti expressa. similiter nec intelligere formaliter est Verbum mentis producere.

4. Intellectio formaliter non consistit in passione, scilicet in receptione Speciei impressæ vel expressæ: similiter intelligere non est formaliter pati.

5. Licet in nostra intellectione concurrant ista tria, actio, passio, & Vitalis qualitas, tamẽ intellectio formaliter & intrinsecè solùm qualitatem vitalem includit illam, quâ intentionaliter assimilatur intellectus obiecto, eique vitaliter coniungitur.

6. Verbum mentale non est Species intelligibilis, neque habitus, nec ipsum obiectum, nec aliquis terminus per intellectionem productus; sed est ipsamet intellectio actualis, non quæcunque, sed naturaliter producta à memoria fœcunda.

7. Verbum mentale verè & propriè producitur à memoria fœcunda per actionẽ à se ipso distinctam, quæ actio actus *dicendi*, non verò actus *intelligendi* debet appellari.

8. Duplex datur in nobis Verbum de memoria productum: vnum perfectum de memoria perfecta, alterum imperfectum de memoria imperfecta.

9. Intelligere seu actum intelligendi exercere conuenit Intellectui, non vt agenti vel possibili, sed vt operatiuo: producere verò seu elicere intellectionem conuenit ei, vt agenti vel actiuo, non vt possibili vel passiuo.

10. Intuitiua Cognitio, quæ nec naturaliter, nec supernaturaliter potest fieri aut exerceri absque Obiecto præsente, differt ab Abstractiua & ratione principij, & ratione termini: Nam Abstractiua causatur ab Obiecto præsente Potentiæ per Speciem, & ad idem in ipsa Specie præsens etiam terminatur: è contra verò Intuitiua à re in propria exsistentia immediatè causatur, & ad eandem sic etiam terminatur, vel si à Specie, tũc nonnisi à tali, quæ in fieri & conseruari pẽdeat ab Obiecto immediatè seipso præsente. Estque ista earum distinctio specifica, non verò tantùm numerica.

CONTROVERSIÆ VIGESIMÆ III.

1. Obiectum adæquatum intellectus nostri ex natura potentiæ, quoad naturalem inclinationem præcisè est ENS *reale* in tota sua latitudine: at quoad naturalem attingentiam est ENS *finitum* motiuum aut solùm terminatiuum pro varia conditione Entium.

2. Ens reale statuitur Obiectum intellectus primum & adæquatum, non secundùm primitatem communitatis, seu prædicationis tantùm: neque secundùm primitatem Virtualitatis tantũ; sed secundùm vtrumque simul.

3. Ens reale sub ratione *Entis*, non verò sub ratione *Veri* est obiectum primum & adæquatum intellectus nostri.

4. Licet Obiectum adæquatum pro hoc statu motiuum imprimens sui Speciem, sit Quidditas rei sensibilis formaliter & per se, sicut est omnis quidditas corporea & extensa: tamen obiectũ terminatiuum, quod potest intelligi siue per impressionẽ propriæ Speciei, siue alienæ est Quidditas rei sensibilis vt sic, quomodocunque sit Sensibilis siue formaliter & per se, siue per aliud, quatenus scilicet est essẽtialiter inclusa in per se sẽsibili, vel saltim virtualiter & occasionaliter

5. Substantia materialis non potest à nobis cognosci, pro hoc statu sub proprio conceptu quidditatiuo à se immediatè causato, seu sub propria ratione per suam Speciem: sed solùm sub conceptu Entis adminiculo Accidentis. Idem dicendum est de Substantijs immaterialibus & de Anima nostra. Porro conceptus ille proprius, quem de Substantijs abstractis habemus, per Species rerum sensibilium & ex Communibus per varias inquisitiones & discursus habetur.

6. Licet Singulare materiale, quod scilicet subest Accidentibus, *Hic* & *Nunc Quantitati* & *Qualitati* &c. sit intuitiuè cognoscibile & de facto cognoscatur ita ab intellectu Angelico & Humano soluto: tamen pro hoc statu non attingitur intuitiuè à nobis.

7. Cogni-

7. Cognitione abſtractiua Singulare materiale & ſenſibile non ſolùm abſolutè loquendo eſt per ſe & directé cognoſcibile; ſed etiam de facto pro hoc ſtatu attingitur ita á nobis conceptu proprio & directo, ac proinde per propriam Speciem: licet non ita propriam, vt illud repræſentet ſub propria ratione Singularitatis.

8. Natura communis vt ſic præciſa à Singularitate cognoſcitur ab intellectu abſtráctiué, imò & intuitiué poteſt cognoſci vt abſtrahit à ſingulari ſeu abſque eo quod cognoſcatur intuitiuè eius ſingularitas.

9. Cognitio Senſitiua prior eſt origine in nobis quàm intellectiua: item cognitio ſenſitiua exterior prior eſt interiore: item cognitio ſenſitiua Accidentis prior eſt quàm Subſtantiæ: tandem inter ſenſitiuas Tactio prior eſt Viſione, Auditione, & reliquis. Quænam autem ex Qualitatibus tangibilibus, prius origine percipiatur tactu incertum eſt. cæterum probabile eſſe videtur, vt in pluribus, primas Qualitates priùs quàm ſecundas: & inter *primas* priùs calorē atq; frigus, quàm alias tactu apprehendi.

10 Cognitio Originaria & Collectitia: itē Originaria ſimpliciter & originaria *de hoc Obiecto* differunt ab inuicem: eſtque Collectitia poſterior originali.

11 Simpliciter & abſolutè loquendo Primum Cognitum à nobis primitate Originis eſt Singulare, Materiale, Senſibile Speciei ſpecialiſſimæ.

12 Singulare incomplexū priùs origine cognoſcitur ab intellectu, quàm Vniuerſale incomplexum in eo incluſum: ſimiliter Singulare Complexum priùs Vniuerſali Complexo.

13 Facta comparatione inter ipſa Vniuerſalia priùs primitate originis cognoſcimus de facto minùs Vniuerſalia; quàm magis Vniuerſalia; ita vt in Obiecto debitè ſenſibus applicatò priùs concipiat intellectus gradum Speciei ſpecialiſſimæ, & ſic deinceps aſcendat vſq; ad Ens. inter Species autem ſpecialiſſimas illa priùs cognoſcitur, cuius Singulare fortiùs mouet ſenſum.

14 Tota difficultas intelligendi quodcunque Ens nullo modo prouenit ex parte rerum; ſed tantùm ex parte noſtri intellectus.

15 Subſtātiæ abſtractæ poſſunt à nobis pro hoc ſtatu cognoſci quidditatiuè; licet non ſecūdùm omnes conceptus proprios.

16 Licet de Deo poſſit haberi naturaliter aliquis conceptus in quo non ſolùm per accidens; ſed etiam per ſe concipiatur DEVS, & iſte quidem non tantùm analogus, verumetiam vniuocus tamen in particulari ſub ratione propria Deitatis, vt eſt hæc; non poteſt pro hoc ſtatu à nobis cognoſci.

17 Conceptus Entis infiniti eſt ſimplicior & perfectior omnibus alijs conceptibus Dei proprijs, quos naturaliter habere poſſumus. Porrò conceptus talis nonniſi per ſpecies creaturarum comparantur.

CONTROVERSIÆ VIGESIMÆ IV.

1 Voluntas eſt Potentia appetitiua animæ rationalis, vt ſic; & conſequenter ſpiritualis, organoque carens & intellectui correſpondens ceu appetitiua ſuæ cognitiuæ: nedum autem eſt potentia libera; non verò naturalis: ſed etiam ſola formaliter & eſſentialiter libera; aliæ verò nonniſi participatiuè ac dependenter ab eius imperio.

2. Quamuis Voluntas ſit potentia nobilior Intellectu; tamen nec naturaliter, nec ſupernaturaliter poteſt operari abſque præuia Obiecti cognitione & propoſitione.

3. Vtraque opinio eſt probabilis tam ea, quæ pro Obiecto adæquato Voluntatis ponit Ens in tota ſua latitudine, ſicut eſt ipſius intellectus; quàm ea, quæ Ens non quidem in tota ſua latitudine ſed per bonitatem coarctatum aſſignat.

4. Probabile eſt ad producendum actum Voluntatis etiam Obiectum per ſui cognitionem phyſicé effectiuè minus principaliter concurrere; Probabile quoque ſolam Voluntatē eſſe cauſam totalem.

5. Nullum Obiectum in via quocunque modo proponatur, poteſt neceſſitare voluntatem, quoad exercitium: benè tamen poteſt quoad Specificationem.

6. Anima rationalis in ſtatu ſeparationis nullum poſitiuum modum per ſe eſſendi acquirit, nec fit magis eiuſdem naturæ cum Angelis, quàm antea fuit, cum erat corpori coniuncta.

7. Potentiæ inorganicæ remanent in Anima ſeparata, imò & organicæ incompletæ; at non completæ.

8, Anima ſeparata retinet ſpecies & habitus intellectus & voluntatis acquiſitos; poteſtquè recordari eorum, quæ coniuncta nouit vel fecit. Porro res antea notas per eaſdem Species acquiſitas cognoſcit, at veró res antea ignotas non cognoſcit niſi per Species ex ill..; rebus ope Intellectus Agentis collectas.

9, In loco Anima ſeparata eſt fundamentaliter non per operationem, ſed per ſubſtantiam ſuam vt eſt natura limitata actualiter exſiſtens; at verò formaliter eſt per Vbi definitiuum in eo

10 Anima ſeparata eſt capax motus localis & mouet ſeipſam localiter, immò & alia à ſe diſtincta poteſt mouere atque propellere.

A. M. D. G. V. S. & O. SS.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0007962